



Kern 253 (1-20)



2

DE  
FEBRIS LENTAE  
NERVOSAE NATVRA.

---

CONSENSV  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
IN REGIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO  
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, ETC.

PRO  
G R A D V D O C T O R I S  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME CAPESSENDIS  
A. D. XIII. OCTOBR. MDCCLXXXI.

H. L. Q. S.  
PVBLICE DISPVTABIT

A V C T O R  
G O T T L I E B A L B R E C H T G O T T E L  
P O M E R A N V S .

---

HALAE MAGDEBVRG.  
T Y P I S S T E P H A N I A N I S .



DE  
FERRIS LENTAE  
NERVOSE NATURA

CONSILII  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
IN REGIA UNIVERSITATE  
P R A E S I D E  
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO  
FACULTATIS MEDICAE SENIORIS

PRO  
GRADU DOCTORIS  
SARONIS IN MEDICINA HONORARIIS  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS REGIIS CASSENSIBUS  
A. D. IIII OCTOB. MDCCXXXII

EXCISE ORTHOBATI  
AUCTOR  
GOTTLIEB ALBRECHT GOTTEL  
HONORARIUS

HALAE MAGDEBURG  
TYPIS STEPHANIANIS



V I R O  
SVMME VENERANDO,  
RECTORI MAGNIFICO

CETERISQVE  
VIRIS EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,  
EXPERIENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS,

PROFESSORIBVS  
GYMNASII GEDANENSIS CELEBERRIMIS,  
FAVORIBVS AC PATRONIS

OMNI, QVA PAR EST, VENERATIONE

PROSEQVENDIS,

GOTTLEB ALBRECHT GOTTLIEB



SPECIMEN

SVMMÆ VENERANDI  
HOC

REGTORI MAGNifico  
IN AVGVRALE

GENERICITATE  
DEDICAT

VIRIS EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
IDEMQVE GRATI PIQVE ANIMI PIGNVS

PROFESSORIBVS  
ESSE CVPIIT

GYMNASII GEDANENSIS CELEBRERRIMIS

FAVTORIBVS AC PATRONIS

CVMI, QVA PAR EST, VENERATIONE

PROSECVTUS

GOTTLIEB ALBRECHT GOTTEL,





DE

FEBRIS LENTAE  
NERVOSAE NATVRA.



Febrem lentam neruofam febrem esse cōtinuam acutam, quae, licet mitis appareat, genus tamen neruofum magnopere conturbet, & ipfū morbi famoli nomen docet, & vnanimis eorum, qui de eo litteris quidquam mandarunt, confenfus probat. Enim vero quae ſint iſtae turbae, quibus cerebrum neruoſque afficit, quoque igitur modo a ſimilis farinae

A 3

febri-

febris differat? de eo nondum satis inter Medicos constare videtur. Quare operae pretium me facturum putavi, si de hac materie publice disputarem. Equidem febrem lentam neruosam nihil esse aliud iudico, quam propriam phrenitidis speciem, eius maxime, quae cum virium languore & delirio miti obscurae conjuncta est, quamque ideo, vt videtur, GALENVS phrenitidem *hetticam* vocauit. Quam sententiam vt, pro virium tenuitate probarem: symptomata primum febris lentae neruosae, in ordinem redacta, exposui; deinde eam, praemissis nonnullis ad solutionem & causas ejus harumque sedem pertinentibus, cum phrenitide vera comparavi; nihil iam magis in votis habens, quam vt haec mea conamina non omnino Viris doctis displiceant.



§. I.

I. Febris ejusque phaenomena.

In principio morbi febris plerumque aut nulla, aut leuis & erratica comparat (1). Nonnunquam, progrediente etiam morbo,

(1) In epidemia a WILLISO descripta (*de morb. conuuls.* Cap. VIII. in *Oper.* p. 67 seqq.) affectus ita tacite obrepebat, vt aegrotationis initia vix perciperentur; nam

aeger nec de calore immodico, nec siti acriori conquaerebatur. Et HVXHAMVS (*oper. phys. med.* Tom. II. p. 78.) memorat aegrotum in principio morbi leuem per-



bo, febris haud manifeste erumpit (2); vt plurimum autem, febrilius ocyus, vehementius exardescit (3), ita tamen, vt sibi relicta omnique statu aut inflammatorio (4), aut alio simili absente, mitior

perferenscendere horrorem ac tremorem cum errante repentino calore. *Corol. de MERTENS (obseruat. med. de Febr. putrid. &c. Vienn 1778.)* febrem putridam nervosam, quam obseruauit & descripsit (l. c. pag. 56. seqq.) in tria stadia diuisit, inque primo vagam interdum calorem febrilem extremitatibus frigidis deprehendit, additque: *haec per quatuor vel quinque dies, immo per hebdomadam perdurabant, antequam notabilis febris obseruaretur — nulla sitis aderat* Febris irregularis in principio morbi meminit quoque *DEMIANI* (in *Diff. de Febre lenta nervosa, rheumat. & hydr.* Lips. 1777. Praef. *Celeber.* BOSE vent. pag. 25.), vt iam alios mittam.

- (2) Non raro aegrotum apyretum dixisses, si ex pulsu, & corporis contrectatu calore & vrinis, vt pote aut ex toto, aut propemodum naturalibus, febrem aestimasses. Horripilatio leuis vaga (*STOLL Rat. Med. Part. II. p. 36.*)
- (3) WILLIS l. c. pag. 68. MERTENS l. c. pag. 58. 59.

(4) Ipse WILLISIVS notauit, cruoris quam dixit, efferuescentiam in aliis intensiorem, in aliis remissiorem fuisse; proindeque factum, vt sitis etiam, linguae scabrities aliaque symptomata, quae ab intemperie febrili pendent, plus aut minus aegros infestarent (l. c. pag. 68.) Idemque STOLL (l. c. pag. 35. 41. 42.) confirmat. Vero autem quam maxime, simile vehementiorem febrem lentam nervosam numquam incidere, nisi diathesis, quae ei fauet, alia & imprimis inflammatoria adhaereat. Nam STOLL in iisdem, quos acrior febris tenebat, & venae sectionis vtilitatem expertus est, & sanguinem repositum crusta pleurifica obregi obseruauit (l. c. pag. 41.) ipseque monet: *erant illorum febres pituitoso-inflammatoryae, aut inflammatoryo-pituitosae, potius quam simplices pituitosae.* Inde explicatur etiam id, quod Sydenhamus conuincit (Oper. omn. p. m. 355): *febris — exacerbationes molestissimas ingruente nocte apportat, non aliter ac si duplex foret tertiana*



mitior fit, idque vel vere (5), vel in speciem tantum ac insidiosam (6). Non raro vago incertoque tempore exacerbatur & remittit (7); subinde statis quidem horis certoque tempore paroxysmos ac remissiones format, sic tamen, ut frigus, calor febrilis ac pulsus alio etiam diei tempore sese efferant mirumque in modum varient (8). Solent vero exacerbationes hujus febris

ple-

na, sine quotidiana. Nam in ea, quam descripsit, epidemia, statum inflammatorium simul adfuisse utilitas venae sectionis, corium pleureticum in sanguine emissio observatum & verba SYDENHAMI: *hanc febrem nihil esse aliud, quam simplicem sanguinis inflammationem* (l. c. p. 356.) satis superque docent.

(5) Sic STOLL (l. c. pag. 37.) paucissimos vidit, quibus leuior nervosa febris die sexto, septimo, octavo & consequentibus, oborta larga & continuata diaphoresi, & sub auroram auctiori soluebatur. Quin alios subinde vidit in quibus res intra solam diathesin pituitosam substitit atque in his febribus manifesta numquam erupit. (l. c. pag. 40.)

(6) Vid. HOME medicin. Beobachtung, und Versuch Seit. 2. Der Puls inquit, war von dem Pulse eines Gesunder nicht so sehr unterschieden, als man aus dem

übrigen Zufällen hätte vermuthen sollen; denn er war nur etwas geschwinder und matter, und, schlug überhaupt ohngefähr 100. bis 110. mal in einer Minute. Pulsum sanorum pulsui non absimilem, observavit SYDENHAM (l. c. pag. 355.) Atque horripilationem leuem, calorem modicum, sitim non magnam aut nullam in hac februm specie etiam si periculosa plerumque, deprehendi, notarunt HUXHAM, de MERTENS pluresque, quos omnes recensere, molestum est.

(7) Cruoris efferuescentiam vagam fuisse ac incertam, memorat WILKES l. c. pag. 68. Atque STOLL (l. c. pag. 35.) *febriles inquit, motus assidui, nunc physculum elatiores, nunc vero depressiores, nullam temporis legem observarunt.*

(8) Sic HUXHAM (l. c. pag. 79.) *pulsus inquit, celer est, debilis & inaequalis, nonnumquam formicans, nonnumquam per nonnulla minuta*

*De febris lentae neruosae natura.*

plerumque horis vespertinis & versus noctem incidere, mane vero remissiones observari (9). Febrem hanc interdum absque notabili symptomatum vel accessione, vel decremento occurrere, notauit STOLL (10.)

Quare febris lenta neruosa, si eam in vniuersum spectes, erit *mitis, continua, amphimerina, cum eo tamen, vt simul & vagas accessiones & remissiones habeat, & partes ipsas inaequali ratione afficiat.*

§. II.

II. *Symptomata neruosa.*

Symptomata neruosa, quae comites sese huic feбри adjungunt, *partim* ad mentem, cerebrum ac neruos pertinent, *partim* ad musculos fibrasque musculares, neruorum imperio subjectas. Vtrumque autem symptomatum neruosorum genus in sensilitate &

*minuta letus, imo intermittens, atque tunc cum repentino oris rubore statim fit celerior, ac hunc fortasse mox excipit mirum in modum quietus & aequalis; & ita haec variant. Calor & horror quoque sunt incerti. Nec aequabili haec symptomata ratione partes occupant. Interdum genae rubent, dum nares & aures frigent ac pars capitis anterior eodem tempore sudore madet frigidus; quid? quod saepif-*

sime fieri solet, vt insignis oris rubor & calor obseruetur, quum partes frigeant extremas (ILEM l.m.c). Similia alii referunt.

(9) SYDENHAM, HUXHAM, alii. Interdum pulsus mane a naturali non recedit; tardum hoc tempore esse pulsus, testis est DEMIANI. Inde forte etiam fit, vt sint, qui calorem continuum in hac febre obtinere negent. (DEMIANI l.c. pag. 9.)

(10) STOLL (l.c. pag. 36.)

B

& irritabilitate *vel* aucta, *vel* diminuta, *vel* alienata consistit. Huc igitur pertinent

- 1) *pigritya & lassitudo corporis*. Hanc, *vel* exoriente primum morbo, tam magnam obseruauit WILLISIVS (11), *vt* aegroti, ad motum quemuis inepti, tantum lecto discumbere & otio frui ambirent. Alias in primo stadio morbi ambulant, negotia obeunt, & aliquando modo interdum jacere coguntur (12). Progrediente autem morbo lassitudo haec semper increfcit, ita, *vt* aegri etiam vero animi deliquio affici possint (13). Praeterea aegri ex febre lenta neruosa
- 2) *animi etiam languore ac stupore* corripuntur. Spirituum languorem & functionis animalis torpedinem memorat WILLISIVS (14). Tarditatem aut objectionem animi narrat HUXHAM (15). Aegros *vel* in primo morbi studio morosos & meticulosos fuisse eosdemque in secundo, *vel* minimam causam in terrorem coniecisse, testatur *de* MERTENS (16). Aegros tardos, stupidos cum animi indifferentia fuisse, obseruauit STOLL (17). Similia habet HOME (18). Negant aegri male se habere — liberio rem aërem facilius ferunt, sed sibi relictam omnem societatem

(11) l. c.

(12) *de* MERTENS l. c. pag. 58.

(13) Idem l. m. c. HUXHAM l. c. pag. 96.

(14) l. c.

(15) pag. 78.

(16) pag. 58 59.

(17) l. c. pag. 36.

(18) l. c. Der Kranke konnte nicht so gleich, was man ihn fragte,

verstehen, und er antwortete daher sehr langsam. Es war dieses ein so entscheidender Zufall, daß man aus dem ersten Ausspruche, den er that, gewiß einsehen konnte, ob jemand dieses Fieber hätte. Es verwandelte sich dieses nach und nach in eine Blödsinnigkeit. Conf. Idem l. c. pag. 160.

tatem hominum fugiunt, tristitia summa afflicti, ut statum suum miserandum & infelicem lacrymis, involuntarie defluentibus, deplorare possint (19). Hanc mentis imbecillitatem, progrediente morbo, magis increfcere, testis est HUXHAM (20).

3) *Sominolenti* quoque sunt aegri; *omni tamen plerumque destituuntur somno*. Quamquam enim adstantibus reuera dormire videantur, attamen hoc non sentiunt seque ita agere negant (21). Somnum in hoc morbo plane deficere, ac aegrum, quamquam torpidus, oculis clausis — quietus in lecto cubet & somno opprimi videatur, re tamen accuratius pensitata vere vigilare, & per totius febris decursum somno destituti, comprobatur etiam DEMIANI (22). Vigiliarum & somni, insomniis turbati, meminit quoque de MERTENS (23). Delirium tamen profundiore subinde finiri comate, a quo subito oritur somnus aeternus, HUXHAMUS memoriae tradidit (24). Comatis quoque mentionem iniicit SYDENHAMUS (x).

4. Quam proclivius sit morbus iste ad inferenda *deliria*, vel ex eo perspicitur, quod hanc proclivitatē testantur omnes. Sic WILLISUS (25) *circa morbi*, inquit, *incrementum, quod in plerisque intra octiduum contingit — aperta phrenesis aut altus stupor, siue aesthesia infestant*. Et paucis interiectis verbis „saepius obseruavi, in plerisque pueris atque non raro in foemi-

B 2

nis

(19) DEMIANI l. c. pag. 9.

(20) pag. 81.

(21) HUXHAM pag. 79.

(22) l. m. c.

(23) l. c.

(24) pag. 81.

(x) l. c. pag. 355. Et in vniuersum morbus, ut ad inferenda deliria, sic ad coma producendum aptus est.

(25) pag. 68.

nis post septem aut octo a decubitu dies, sensationem & loquelam penitus defecisse, adeoque aegrotantes, aliquamdiu, immo interdum totius mensis spatio, sine adstantium notitia, cumque inuoluntario excrementorum profluuio decubuisse; si iudicii & rationis usus aliquatenus perstaret, eos tamen crebro delirio, & constanter in somnis fabulatione absurda & incongrua laborasse; in viris autem aliisque temperamenti calidioris, a materia morbifica, vice criseos, in cerebrum translato, furor aut phrenesis periculosa, ac saepe lethalis succedebat &c.

SYDENHAMUS comatis quidem ac phrenesis ortum a stragulis lectique calore repetit, addit tamen: „ & vt verum fatear, ira procliuus est in hoc morbo ad phrenesin lapsus, vt persaepe sua sponte, nulla eiusmodi data ansa, illico supreat. „ Monet simul phrenesin mitiorem ac in variolis atque aliis febribus esse (26). Dolorem in parte capitis posteriore generatim comitari febres neruosas illosque plerumque excipere delirium quoddam, HUXHAMUS testis est (27). Addit, circa septimum & octauum diem nonnulla symptomata incrementum cum perpetuo susurro & tinnitu aurium, qui aegrotum valde turbet & haud raro delirium excitet (28). *Dormientes*, inquit de MERTENS, *loquebamur; subito euigilati delirabam* (29). Procedente morbo deliria continua obseruauit IDEM (30). Delirium, quod in hac febre occurrit, ab omnibus aliis distingui, ob confusionem maximam, qua aegri cerebrum afficitur, obque illum motum, quo stragula attollunt arripiuntque, & res, quas ante oculos esse

(26) l. m. c.  
 (27) l. c. pag. 78.

(28) pag. 80. Vid. quoque p. 81.  
 29) pag. 59. (30) p. 61.

- esse putant, capere volunt, indeque semper obmurmurantes, DEMIANI censet (31). At vero quis est, quin videat, phrenitidis haec indicia esse? In illis etiam, quos HOME recenset, casibus, frequens est delirii mentio (32). Delirium nocturnum, mite, taciturnum notavit STOLL (x).
5. Neque *dolores* variarum partium in febre lenta nervosa desunt. Incidunt igitur dolores capitis (atque hi fere nunquam absunt), modo hanc, modo illam capitis regionem afficientes (33) oculorum (34) colli & faucium (35), pectoris (36), abdominis (37), dorfi (38), artuum (39).
6. Accedunt *anxietas* (40), *vertigo* (41), *tinnitus & susurrus aurium* (42), *lucis intolerantia* (43), *surditas* (44). *Sitis*, pro febris & sensilitatis ratione, maior (45), minorue (46). Interdum nulla observatur (47). Nec deest prostratus *appetit*

B 3

tus

- (31) l. c. pag. 10.  
 (32) pag. 159. seqq.  
 (x) l. c. pag. 36.  
 (33) WILLIS. STOLL. HUXHAM. p. 78. de MERTENS pag. 57—59. SYDENHAM pag. 355. HOME pag. 2. 164. 166. 169. 173. 174.  
 (34) HOME pag. 171. STOLL.  
 (35) SYDENHAM l. c. HOME pag. 169. STOLL pag. 38.  
 (36) STOLL. HOME pag. 159.  
 (37) HOME pag. 3. STOLL.  
 (38) HOME pag. 173.  
 (39) WILLIS. SYDENHAM. STOLL.  
 (40) HUXHAM plur. loc. de MERTENS pag. 57. 58. & alii.  
 (41) WILLIS. HUXHAM. MERTENS &c.  
 (42) WILLIS. de MERTENS. p. 58. STOLL pag. 36. HUXHAM.  
 (43) HUXHAM pag. 81. de MERTENS pag. 58. Progremente autem morbo a luce faepe ne irritantur quidem, teste HUXHAMO l. c.  
 (44) HUXHAM. MERTENS pag. 61. STOLL pag. 36. In principio autem morbi faepe auditu nimis acuto gaudent (HUXHAM).  
 (45) HOME pag. 173.  
 (46) vid. §. I.  
 (47) STOLL pag. 35.

- tus (48), interdumque nausea. Gustum amaricantem aut nullum habet STOLL (x)
7. Denique tremor, aut vniuersalis (49) aut particularis, linguae, vocis, manuum (50), & conuulsio (51) subinde accedunt. Singultus & stertitationis mentionem iniicit HOME (52).

## §. III.

## III. Symptomata functionum vitalium.

De febris ratione jam diximus. Pulsus praeterea in vniuersum debilis inaequalis &, procedente morbo *celerrimus* & quasi *tremulus* obseruatur (53.) Tussis aegros per saepe afficit. In ea, quam Willisius descripsit, epidemia, in aliquibus tussis valde molesta, cum sputo copioso & crasso excitabatur; atque ea in nonnullis circa morbi declinationem successit, verum in aliquibus, praesertim qui in capite morbi noxam minorem luebant, statim a febris initio, tussis immanis & foeda expuitio, cum diatresi velut rabida ingruiebant (54). Aeger, inquit SYDENHAMUS (55) *ut plurimum laborat tussi, quae quidem quanto ab hyeme longius inuadit morbus; tanto citius, una cum aliis symptomatibus, peripneumoniam mixtam & boni moris comitantibus, recedit.* Tussis meminit quoque HUXHAM (56) *spirandique difficultatis & periculis oppressionis* (57). Tussim vespertinam, nocturnam, siccam

- |   |                                  |
|---|----------------------------------|
| (48) WILLIS. MERTENS & alii                               | ME pag. 165. MERTENS pag. 61.    |
| (x) l. m. c.  | (52) l. c. pag. 3. 169.          |
| (49) HUXHAM pag. 80.                                      | (53) Vid. §. I. MERTENS pag. 61. |
| (50) HUXHAM l. m. c. de MERTENS pag. 59. DEMIANI pag. 10. | (54) WILLIS pag. 69.             |
| (51) WILLIS. HUXHAM pag. 81. HOME                         | (55) l. c. pag. 355.             |
|   | (56) pag. 86.                    |
|   | (57) pag. 78.                    |



primo, dein sputa extudentem crassa, ductilia, albida, virescentia, memorat STOLL (58); *suspiria cum respiratione laboriosa & inaequali* de MERTENS (59). Respirationem valde citatam observavit HOME (60), allaque respirationis vitia, vt dolorificam, anxiam, laboriosam &c. (61). Huc *vocis* quoque vitia pertinent. Hanc enim *tremulam* esse, *debilem*, *vix intelligendam* memorant (62).

## § IV.

## IV. Excretionis &amp; excretorum vitia.

I. *Urinam* rubram, vt in scorbuticis, observavit WILLIS (63); alias naturalis (64), aut propemodum naturalis (65) conspicitur. *Urinam* plerumque esse pallidam & limpidam, saepius vino ad calorem vel cereuisae secundariae similem, ex qua vel nihil vel parum descendat, vel materiem tantum laeuem, fursuri similem, inaequaliter dispersam eandemque, imminente delirio, fieri pallidiorum ac limpidiorum monuit HUXHAM (66). *Urinae* crudae, aquosae in primo stadio, mox crudae, mox citrinae cum enaeoremate, quandoque iumentosae, progrediente morbo, meminit de MERTENS (67). Variam observavit HOME. Sedimentosam, post sudorem autem pallidam in eodem aegro, elapsis aliquot horis turbidam, plerumque absque fedi-

(58) pag. 36.

(59) pag. 59.

(60) pag. 2. 3.

(61) pag. 163 seq.

(62) WILLIS pag. 68. MERTENS  
pag. 59. HOME pag. 3 &c.

(63) pag. 68.

(64) HOME pag. 175.

(65) STOLL pag. 35.

(66) pag. 79. 80.

(67) pag. 61.

- sedimento (68). In alio aegro turbidam, interdum cum sedimento lateritio (69). Turbidam cum sedimento puriformi (70). Turbidam cum sedimento, dein coloratiorem absque sedimento, tandem pallidiorem insequente enaeoremate (71). Vrinam plerumque pinguedine quasi conspurcatam esse, HUXHAM refert (†). Praeterea mictionis vitia varia incidunt. Interdum enim vrina supprimitur (72), alias ardet, vt in gonerrhoea venerea (73); haud raro nimium profluit (\*). Inuoluntaria urinae & foecum excretio ad signa instantis mortis refertur (74).
2. *Cutim* in hac febre duram & siccam deprehendit HOME (75); aridam squalidam, inperspirabilem & scabram STOLL (76); sudorem, haud facilem, WILLIS. *Cutim* calidam & humidam, laudat HUXHAM (77). Sudorem moderatum, profusum, profusum viscidum & frigidum habet IDEM (78). Profusi meminit quoque de MERTENS (79). Sudatiunculas plerisque fuisse, testatur STOLL (80). Et in aegro quodam *cutim* semper humidam obseruauit HOME (80).
3. *Vomitum* perraro obseruauit WILLIS (82); nauseam, haud raro

ro

(68) pag. 159. 160.

(69) pag. 163.

(70) pag. 166. cf. pag. 177.

(71) pag. 171. 172.

(†) pag. 90.

(72) HOME pag. 3. Parcam obseruauit *Idem* pag. 159. conf. HUXHAM pag. 90.(73) *Idem* pag. 3.

(\*) HUXHAM pag. 30.

(74) HUXHAM pag. 81. de MERTENS pag. 61. cf. HOME pag. 174.

(75) pag. 2.

(76) pag. 35.

(77) pag. 80. 81.

(78) pag. 80. 85. seq.

(79) pag. 60. 61.

(80) l. m. c.

(81) pag. 168.

(82) pag. 68.

ro cum vomendi conatibus, licet praeter phlegma insipidum parum reiiceretur, HUXHAM (83). Nec vomitus in omnibus defuit, quos aegros ex hac febre vidit HOME (84). *Subinde, inquit STOLL (85), vomitus suapte accessit, parvus, pituitosus, frequens, mirifice recreans, refrigerans — & quidam hoc modo quotidie vomitarunt.*

4. *Aluum* segnem interdum fuisse, memorat de MERTENS (86); saepius autem diarrhoea accessit moderata profusaue, quod WILLIS, HUXHAM, HOME, STOLL, alii testantur. Teste WILLISIO modo flava, modo tenuia & serosa cum insigni foetore deiciebantur copiose. Similem diarrhoeam habet HOME pag. 8. conf. HUXHAM pag. 89.

5. *Saliuationem* spontaneam, eamque copiosam & sine aphtis occurrentem, valdopere laudat HUXHAM (87). Saliuationem & somnum placidum, per aliquot dies durantem, saepe vincere morbum, indeque pro criticis haberi, DEMIANI monet (88).

6. De *spuis* jam dictum (§. III.) Subinde quoque inuoluntaria lacrumarum profusio occurrit. *Hemorrhagiae* autem spontaneae rarissime obseruatae, nec soluitur iis morbus, si purus est (x).

## §. V.

## V. Qualitates sensibiles alienatae.

1. Graves morbi vix vnquam illaesa facie incidunt. Quam quidem ob causam non mirandum, faciem in febre lenta nervosa

(83) pag. 78.

(84) v. g. pag. 10.

(85) pag. 39.

(86) pag. 61.

(87) pag. 89. (88) pag. 11.

(x) HOME pag. 175. Sub vomitu accessit haemorrhagia, narium non minima.

C

uofa a naturali conditione fua permultum recedere. Languidae, pallidae ac triftis faciei meminit HUXHAM (89), accedente poftea repentino eius rubore (90). Colorem faciei mox pallidum, mox floridum apparere teftatur de MERTENS (91). Rubor faciei, genarumque, & *εὐχρεία*, oris naftique omnis ambitus cum virore flauescens, a STOLLIO obferuata (92). Obferuatur etiam insignis illa oculi mutatio, qua fit, vt peralbum inducat colorem ac cornea collabatur ita, vt humorem aqueum vix transparentem crederes, vt facies cinereo — pallidum colorem accipiat, cum notis & rugis eiusmodi, quae valde miferandum statum aegri adstantibus declarant (93).

2. Linguae scabritiem plus minus magnam esse in hoc morbo, idque pro febris ratione, WILLISIUS monet (94). Accuratus paullo SYDENHAMUS linguae conditionem descripsit (95) *Lingua aegri, inquit, pro ratione imperati regiminis, vel humida est, vel sicca. Vbi inaruerit, fusci est coloris in medio; quam partem vndique cingit fimbria inalbescens. Vbi vero humida est lingua, omni ex parte alba est, pellicula item scabra & alba vestita. Nam si aeger ab adhibito regimine plus iusto incalescat, lingua fere est fusca & arida; sin minus humida est, & alba.* Lingua, obferuante HUXHAMO (96), in principio raro aut numquam sicca vel discolor, interdum vero tenui al-

bican-

(89) pag. 78.

(90) pag. 79.

(91) pag. 58.

(92) pag. 35.

(93) DEMIANI pag. 10. Die Hur

gen waren starr und dunkel (HOMME pag. 2)

(94) pag. 68.

(95) pag. 356.

(96) pag. 79. 80.

bicante muco est obducta, tandem ea saepius quidem arida, rubra, & fissa aut corticis malorum aurantiorum colore apparet; hoc autem plerumque in ipso morbi statu aut eius fine fieri solet; speciatim pars eius media fit admodum arida, luteo cum margine in utroque latere; interdumque aeger de linguae calore, absque vix vlla siti, conqueritur. In principio morbi linguam humidam & muco albo obductam, observavit *de MERTENS* (97), procedente autem morbo eam crusta flava nigrae tectam deprehendit, cum muco tenaci totum os & fauces obducente (98) Die Zunge, inquit *HOMER*, wurde erst weiß, hernach braun, und denn trocken, und so blieb sie die ganze Krankheit über, (99). Lingua glabra, glutine velut scrinianorum obducta, subinde pura, sed siccescens, prae rubra, aut modice albicans, resiccata, arida, fissa, adusta (100).

3. Saepius quoque huic morbo *exanthemata* iunguntur. Vidit in quibusdam *WILLIS* (1) pustulas aquosas, quae in ulcera caua & aegre sanabilia transibant; interdum maculae exiguae & petechiales apparuerunt; non audiuit tamen, latiores aut liuidas in huiusmodi aegrotis unquam conspicuas fuisse. Varium exanthematum genus in hoc morbo observavit quoque *SYDENHAM*, petechias nempe & eruptiones miliares, morbillis haud abfimiles, quas quidem sua nonnumquam sponte ingruere, saepius autem calore cum regiminis, tum curationis extorqueri, testatur (2). Eruptiones miliares memorat quoque *HUXHAM*,

C 2

quas

(97) pag. 57. 58.

(98) pag. 61.

(99) pag. 2.

(100) *STOLL* l. c. pag. 35.

(1) pag. 69.

(2) pag. 356.



quas saepius septimo nono, aut vedecimo febris die, interdumque tardius ac repetitis vicibus apparere, asserit (3), & frequentius, non morbi solum magnitudinem, sed peruersam quoque medicorum medendi methodum ostendere, contendit (4). Miliaria cum petechiis, haesue solas, sine leuamine, vidit de MERTENS, notauitque calorem purpureum ante mortem in fuscum mutari (5). Nonnullis, inquit STOLL, (6), *etsi perpaucis, eruptio miliaris prodit, alba plerumque, rarius rubra, illis conferta, incerto tempore, nec iisdem ubique in locis, & subinde cum aegritudinis leuamine. Eo vero in casu leuari morbus hac eruptione videbatur, ubi ea serius fiebat, & ventriculo ventreque repurgato, & non coacta, ac inter sudores spontaneos, largos, protrahos.* Post sudores colliquatiuos, in hac febre exanthematum singularem speciem, quae cum purpura quam maxime conueniat, erumpere, per totius corporis superficiem dissipari, & nullum leuamen procreare, imo delirium proximum esse denotare, DEMIANI narrat (7); IDEMQVE exanthematum quoddam genus circa finem morbi in toto pene corporis ambitu prodire, cumque intolerabili & pertinaci pruritu acrem humorem fundere, testatur (8).

4. *Aphtharum* quoque frequens fit in hoc morbo mentio (9), nec omnes periculum portendunt (10). Nonnunquam etiam anginoidea faucium rubedo accedit, quam plures viderunt.

(3) pag. 87. 88.

(4) pag. 92.

(5) pag. 59. 60.

(6) pag. 39.

(7) pag. 10.

(8) pag. II.

(9) HUXHAM pag. 89. de MERTENS pag. 61. STOLL pag. 35. DEMIANI pag. II.

(10) DEMIANI l. m. c. *Aphthis saepe*5. *Ma-*

pe

5. *Maciem summam* a morbo, per plures hebdomades ac menses persistente, obseruauit WILLIS (11). IDEM commemorat *tumores in glandulis juxta ceruicem*, & quibus aegre maturatis & disruptis ichor tenuis & foetidus longo tempore emanauit & leuamen attulit (12). *Abdomen* plerisque modice intumuisse, doluisseque & contrectatum, & inter tussendum, quibusdam autem tympanitice tensum apparuisse, testatur STOLL (13). Sanguis, e vena secta eductus, nonnumquam densus, spissus, inflammatorius deprehensus est, VISYDENHAM, STOLL, HOMME alii notarunt (§.I.). Alii eundem tenuem viderunt, aut sanum.

## §. VI.

*Duratio morbi.*

Tempus durationis accurate in morbo definiri nequit. WILLISVS (14) haec monet: *laborantes raro intra tres aut quatuor hebdomades, immo vix plurimum vix intra totidem menses conualescebant. Quodsi in homines praefractae aetatis, aut virium, hic morbus incidere, praesertim qui affectibus cephalicis — erant prius obnoxii, eos saepenumero breuiori spatio interfecit.* — Ae-

C 3

pe vexatur internum os, quae si distinctae ob initio morbi apparent, malae non sunt, si vero confluentes, quod ille fixus & vehemens dolor partis inferioris dorsi indicat, numquam, praesertim si lingua sola nec fauces totae iis, vel lardo quasi obducitur, aliquid boni praedicunt. In his aphitis ichor

continetur, vti ex gustu in deglutitione patet, qui postea causa diarrhoeae, quae in ultimo morbi statu oritur & aegrum plane superimit, euadit.

(11) pag. 68. Conf. STOLL pag. 38.

(12) pag. 69.

(13) pag. 36.

(14) pag. 69.

grotos e viuis tolli, aut comatis aut conuulsionis accessu, post quatuordecim, quindecim aut sedecim dierum immo interdum multo diuturniorem languorem, HUXHAMUS obseruauit (15). Febris epidemica neruosa, quam HOME descripsit, ut plurimum quinque aut sex hebdomades durabat rariusque citius finem assequeretur (16). Nulli dierum periodo adstrictam hanc febrem vidit STOLL, qua appetente commotio oriretur, & morbi crisis (17). Qui moriuntur aegri, ante diem decimum septimum vita priuantur, quorum vero vita usque ad vigesimum primum diem protrahitur, sanantur (18). Quibus si adiicis ea, quae jam §. I. allata sunt, pestisque, quae commemorantur, neruosae exempla: intelliges sane, tempus durationis in hoc morbo inconstans esse, morbumque ipsum, mox acuti, mox subacuti, mox chronici indolem prae se ferre, nisi forte illum in eo casu, vbi chronicus esse videtur, ad acutos deciduos referre tibi magis placeat (19).

## §. VII

*Modus solutionis.*

Etsi febris lenta neruosa plerumque periculosis morbis annumerari debet: non rara tamen hujus febris, feliciter superatae, exempla exstant. E prioribus iam patere possunt ea, quibus sanitatis restitutio adiuuatur. Huc nempe *partim* excretiones quaedam, vomitus, diarrhoea, diaphoresis, vrina, sputa & saliuatio, *partim* metastases nonnullae, ut exanthemata, aphthae, ac tumores quidam glandularum, pertinent. Quamquam enim praeditae,

(15) pag. 81.

(16) pag. 3.

(18) DEMIANI pag. 10.

(17) pag. 46.

(19) GALENUS de dieb. decret II. 12.



tae, cum excretiones, tum metastases, subinde morbum vel non solvunt, vel etiam augent: possunt tamen, si signa reliqua bona sunt, vt salutare spectari. Rarius autem febris lenta nervosa vera crisi solvitur; plerumque enim tam mitis est tamque parum movet aegrum, vt lyfi potius, quam crisi iudicetur. Vid. hac de re auctores, quos laudavi.

Subinde morbus in mortem transit, delirio nempe, in affectum comatosum aut convulsionem mutato (20) Sectiones mortuorum rarius, quam optes, institutae. Aliquas tamen recensuit HOME (21), in quarum quidem vna pus in cerebro & cerebello deprehensum, in omnibus autem hepar liuidum observatum. Quae WILLISIVS observavit (22) ad intelligendam morbi naturam parum proficua sunt.

Potest denique febris lenta nervosa, vt similes ei febres, varia mala relinquere. Imprimis huc corporis viriumque diuturnus languor pertinet. Ad relapsum quoque eundemque periculosum, is morbus pronus est (23).

§. VIII.

*Febris lenta nervosa putridis accensenda.*

Quibus, ab observatione petitis, jam praemissis, sequitur, vt veram huius febris indolem naturamque describamus. Et primo quidem e dictis constare puto, febrem lentam nervosam ad putridas febres referri debere. Multa sane & grauia argumenta hoc suadent. 1, frequens in hac febre & facilis exanthematum ipsa-

(20) pag. 81.

(21) pag. 8. seq.

(22) l. c. pag. 75.

(23) pag. 38.

ipsarumque aphtharum, per saepe malignarum, prouentus. Pectechias enim, miliaria & aphthas putridam quandam labem indicare, nemo, puto, negabit; 2, febres lentae neruosae frequenter, quin semper eo tempore, ubi febres putridae grassantur, in his illisue subiectis obseruantur. Docent id omnes febrium putridarum epidemiae; 3, causae harum febrium remotae eae ipsae sunt, quas nouimus putredini fauere, ut aer impurus, humidus, laxitas & debilitas solidorum (24); 4, interdum excreta enim foetorem ostenderunt, qui putredinis aut maioris corruptionis testis est, exemplo eorum, quae diarrhoea expulsa sunt. Quibus porro 5, forte illud etiam, argumenti non leuis loco, adiungi potest, quod notauit DEMIANI; *oriatur*, inquit, *nonnumquam, post applicata emplastra vesicatoria, gangraena* (25). In febribus enim morbisque putridis hoc pluries obseruatum esse nouimus. Denique 6, febris lenta neruosa nonnumquam contagiosa obseruata (26). Demiani quidem multus, ut video, in eo est, ut febrem lentam neruosam a frebre putrida maligna distinguat (26). Enimvero non tanti, quae affert, habenda sunt, ut nostram inde sententiam derelinquendam esse existimemus. Etenim ut de eo nil dicam, quod nonnulla febris putridae malignae signa a V. clar. proposita esse inueniantur, quae certe non omni eius farinae feбри tribui possunt, ut foetor insignis omnium excretorum, sanguis ita resolutus ex uena fluens, ut vix coaguletur in aere libero &c. (nam & gradus putredinis varii in ea occurrunt, &

(24) cf. *Illustr. b. m. VOGEL* Diff. & alii passim laudati.  
*de febre neruosa eiusque genuina* (25) pag. 17.  
*indole*, Goett. 1767. §. IV. seq. (26) WILLIS. DEMIANI pag. 24.

& medici febris putridae nomine non eam modo dignam censent, quae materiae vere putridae debetur, sed eam etiam, quae ad inducendam putredinem valde proclivis est): hoc imprimis monendum esse duco, ex argumentis, quibus vitur DEMIANI, nihil aliud colligi posse, quam febrem lentam nervosam a putridis febribus, quae non sint nervosae, distingui debere, quod sane lubens concedo, alias etiam persuasus, febres putridas, pro subiectorum ceterarumque conditionum varietate, diuersa admodum ratione incedere. Nec desunt Medici, ut hoc addam, in magna auctoritate versantes, quibus febres lentas nervosas itidem ad febrium putridarum genus referre placuit. Sic *Vogelius acrimonia*, inquit, *putrida, quam in malignis pro efficiente causa venditant, profecto in nervosa quoque per diarrhoeas, saluatiorem, aphthas, aliaque symptomata luculenter sese manifestat* (27).

## §. IX.

*Sedes putridae materiei in primis viis.*

Febrium putridarum eam esse indolem, ut in casibus longe plurimis a labe primarum viarum ibidemque recondito putrido orientur, neminem fugere existimo. Atqui intelleximus (§. ant.) febres lentas nervosas generi putridarum subesse. Igitur eas gastricis aut intestinalibus febribus adnumerari debere jam inde, haud sine summa veritatis specie, augurari possumus. Enim vero huic alia propria argumenta accedunt. Petechiae, purpura, aphthae per frequenter in hoc morbo, imprimis grauiore, erumpentes; dolores primarum viarum saepius obseruari; anorexia,

(27) l. c. pag. 30. §. 35. cf. HUXHAM pag. 90. 91.

fastidium, nausea, vomitus ipsi; impuritas linguae; leuamen a vomitu spontaneo; vsus emeticorum leniorum a summis viris commendatus; diarrhoeae itidem in hoc morbo minime raro occurrentes; singularis denique ista faciei rubedo, quam pro signo febrium, e primis viis oriundarum, habet STOLL (§. V.): haec, inquam, omnia satis superque suadent, sedem putridi, quod in febribus lentis neruosis praesto est, primas esse vias, maxime autem & plerumque ventriculum. Accedit etiam, quod obseruatum sit, febrem lentam neruosam a crudis ingestis subortam esse, interdumque diarrhoeae suppressionem secutam (28). Post febrem intermittentem eandem obseruauit DEMIANI (29). Ceterae quoque febrium lentarum neruosarum caussae, vt aëris vitia, perspiratio suppressa, debilitas generis neruosi, peruersitati fucorum in vniuersum quidem, imprimis autem eorum fauent, quos aut continet, aut recipit primarum viarum canalis. Qui denique consensum primarum viarum cum reliquis corporis partibus perpendit, ad eumque symptomata febris lentae neruosae, in superioribus descripta, refert, intelliget facile, horum longe maximum numerum inde a colluue primarum viarum explicari posse. Neque assertum nostrum eo conuelli posse existimo, quod moderata diaphoresis saluberrima deprehensa est. Salubritas enim ista auctae perspirationis satis omnino apte explicari potest, licet febrem lentam neruosam a primis viis, oriri concipias. Nam fieri potest, vt in febribus cum gastricis, tum intestinalibus, materia nocens partim ad sanguinem vehatur, tumque salutariter per diaphoresin eliminetur; vt de eo nihil dicam, quod diaphoresis ideo

fac-

(28) HOME pag. 3.

(29) l. c. pag. 11.

ſaepe optanda ſit in hoc morbo, quod in vniuerſum mitiorem morbi indolem indicat & ſignum praebet, humores aequabili magis ratione diſtribui, nec ad loca nobiliora infelici metaſtaſi moueri. Cruditatis quidem primarum viarum, ſectiones mortuorum referens HOMIUS, non ſolum non meminit, ſed adfuiſſe eam etiam negat (30), itemque WILLISIUS (31). Enimuero HOMIUS narrat tamen colorem hepatis liuidum & vaſa ventriculi & inteſtinorum turgida, paſſimque ventriculum male coloratum fuiſſe. Cumque ſtatus morbi aegrique multis circa mortem modis mutari queat: inde ab eo, quod inſtituta a morte ſectione deprehendis, non ſatis ſemper certo ad veram morbi indolem colligere poteris. Tandem puſ, quod in cerebro & cerebello inuenit HOME (§. VII.), ſedem cauſſae morbi in cerebro ac cerebello ponendam eſſe minime ſuadet, cum partes praediſtae, fere vt oculi, pulmones &c. vel ſola partium ſympathia inflammari poſſint, nec ſatis etiam conſtet, puſ illud vere in encephalo enatum, haudquaquam vero ad illud tranſlatum eſſe. Quod reſtat, theoriae per obſeruata rite firmatae, iſtiusmodi dubitationes, quae ipſae haud firmo innituntur fundamento, nunquam oppo- nere licebit.

§. X.

*Putridum illud pituitae adhaeret.*

Fieri interdum, vt aeger ex febre lenta neruoſa, inſigni ſimul pituitae viſcidae copia, primas replente vias, laboret, dubi-

D 2

tari

(30) pag. 9. 10.

(31) pag. 75.

tari nequit. Praeprimis hoc suadet epidemia, quam descripsit STOLL, quique ideo febrem hanc lentam nervosam potius *phlegmaticam* seu *pituosam*, vel & *lymphaticam*, quam *nervosam* dici voluit (32). Lentorem autem lymphae semper in hoc morbo obrinere, contendit HUXHAM (33). Quam quidem sententiam non omni veritatis specie carere, inde maxime intelliges, quod subiecta febris lentae nervosae laxitate solidorum & debilitate nervorum, plerumque saltim, laborant; quod cruda insalubria alimenta huic morbo fauent; quod pituita interdum in ore faucibusque valdopere redundat, adeo interdum, ut etiam totas fauces oppleat & strangulationis metum faciat (34); quod petechiae, miliaria & aphthae haud sine viscido quodam oriuntur; quodque signa putridi in hoc morbo & obscuriora sunt, & serius prodire solent. Hunc ceterum lentorem ab inflammatorio multum differre, facile pater, etsi fieri possit, ut eidem inflammatorius accedat (§. III.) Caue etiam existimes, pituitam istam redundantem ac viscidam solam producendae febris lentae nervosae parem esse. Nam sola pituitae redundantia febres quidem intermittentes, nunquam vero acutas continuas efficere potest.

## §. XI.

*Indoles febris lentae nervosae accuratius definitur.*

Quae (§. VIII - X.) quamquam veritati satis consentanea sunt, attamen ad intellectum verae harum febrium naturae ac indolis nequaquam sufficiunt. Quot enim non febres acutae continentes, continuatae ac intermittentes inde a putrida primarum viarum

ac

(32) pag. 40.

(34) l. c. pag. 27. §. 30.

(33) pag. 82. 90.

ac viscida pituitosa colluie oriri possunt? igitur natura februm lentarum neruofarum multo adhuc accuratius definienda erit. Cumque specificam caussarum, febres hasce determinantium, indolem singularemque earum agendi modum vix ac ne vix quidem distincte perspicere queamus: sequitur, discrimen februm lentarum neruofarum a ceteris febribus non omnino a caussarum consideratione repeti posse ac debere, sed potius a symptomatibus, quae in sensus incurrunt & fidissima morborum signa subministrant. Hanc vero methodum sequuturi, ad duo potissimum attendamus, necesse est, momenta; alterum ad febrilia symptomata, quae mitiora apparent, febrimque ipsam, quae, vt cum GALENO loquar, tardiozem motum habet, redit; alterum vero in iis symptomatibus positum est, quibus cerebrum totumque genus neruosum turbatur. Atqui de priori momento jam diximus (§§. I. VI) Restat igitur, vt ostendamus, quibus cerebrum ac nerui modis male in febribus lentis neruosis afficiantur. Sunt quidem, qui existiment, hanc febrem ideo neruosam dici, quod neruis praeprimis inimica atque infesta sit, pluraque ex ipsorum affectione symptomata inducat, quam in aliis febribus sese offerant (35). Verum enim vero suadent obseruata, in definienda febris neruosae natura, non tam gradum, quam modum quo afficiantur nerui, respici debere. Sic virium debilitate, animi deliquis & capitis doloribus febrem lentam neruosam superat putrida maligna (36). Conf. §. II.

D 3

§. XII.

(35) VOGEL l. c. pag. 2. §. 2.

(36) DEMIANI pag. 12.



## §. XII.

*Febris lenta nervosa comparatur cum phrenitide.*

Quae cum ita sint, videamus iam, qua ratione cerebrum ac nervi in lentis nervosis febribus laedantur. Equidem in ea sententia versor, hoc in morem phrenitidis fieri. Quod ut pateat, naturam phrenitidis comparabimus cum symptomatibus nervosis, quae comites sese feбри lentae nervosae adiungunt, quaeque iam in superioribus fuse commemorauimus (§§. II. seq.)

*Phrenitis* Medicis dicitur delirium febrile, acutum & perpetuum, ut *paraphrosyne* delirium febrile (breue, acutumue), quod tempore exacerbationis statusue morbi tantum obseruatur. Phrenitis cum comate somnolento, *typhomania* (37), cum vigili sopore, *phrenitis falsa* f. *spuria* (Catochus) (38), cum insigni languore & delirio obscuro, *phrenitis hectica* (39) vocatur. Diuiditur quoque phrenitis in *incipientem adultam* & inueteratam (40), inque *protopathicam* & *symptomaticam*, *idiopathicam* & *sympathicam*, ut iam alias, his subiectas, differentias eius mittam.

Quibus praemisissis, ad rem ipsam accedamus. Et primo quidem febrem lentam nervosam ad inferendam phrenitidem valde procliuem esse inque eam facillime transire §. II. pluribus adducis

- (37) GALENUS *de comate* cap. 4. seq. (39) GALENUS *in prorrh.* l. c. 33.  
 Comment. I. *in prorrh.* text. I. (40) ALEXANDER Trallianus l. m. c.  
 (38) ALEXANDER Trallianus Libr. I, 13.



Etis obseruatis, ostendimus. Neque est sane, cur miremur hoc. Nam dari phrenitides, sympathia primarum viarum cum cerebro productas, dubio caret; fieri quoque potest, vt febrilis materies e primis, quos dicunt, viis ad sanguinem resumatur adque cerebrum vehatur, in subiectis potissimum, quorum & cerebrum, & nerui robore iusto carent, qualia sunt, quae febrili huic succumbunt. Deinde autem si accuratius phrenitidis phaenomena cum iis conferas, quae febrili lentae neruofae tribuuntur (§. II. seq.): non solum haud vllum praecipuum phrenitidis symptomata deprehendes, quod non in hac febrili specie obseruatum sit, sed intelliges quoque, febrem quamcunque lentam neruofam, vel in principio statim, aut esse iam phrenitidis quandam speciem, aut iis saltim signis stipari, quae phrenitidem annuntiant. Mentis enim emotio perpetua cum febre acuta continua; vigiliae iuges, aut somnus turbarum plenus, ipsumque coma vigil aut lethargus; obliuio; faciles insignesque phantasiae turbae; adiaphoria aut irritabilitas summa; tremores; conuulsiones; carphologia, crocidismus & venatus floccorum volitantium &c. blestrismus; adipisia, lingua interea sicca, aspera, interdumque nigra; raptus humorum versus caput; rubor faciei perseverans aut per intervalla in pallorem mutatus; sudor in superioribus; oculi squallidi, rubentes, aridi, puluerulenti, lacrumosi &c. visus, olfactus, auditus aut nimis acutus, aut debilis, aut deprauatus; grauitas aut dolor capitis, maxime occipitis ac cervicis; aponia aut loquela delira, inapprehensibilis; respiratio laesa; spasmi extremorum & abdominis varii, indeque enatae turbae; praecipua, me quidem iudice, symptomata sistunt, quae phrenitidem veram praec-

co.



cedunt comitanturque. Atqui haec ipsa phaenomena partim cum febre lenta neruosa incidunt, partim eandem, iam enatam aliquamdiu, sequuntur (§§. II. seq.) Igitur febris lenta neruosa non solum summam habet in phrenesin propensionem, verum ipsa etiam nihil aliud est, quam phrenitidis quaedam species, eius maxime, quam *hecticam* vocauit GALENUS.

## §. XIII.

*Idem porro.*

Addam nonnulla quae assertum hoc confirmant dictisque forte lucem maiorem affundant. Primo delirium, phrenitidis comes, varium est multiplex; ferinum, turbulentum, placidum, obscurum, cum risu aut cantilena, cum studio, cum metu ac sollicitudine; errantque omnino, qui delirium phreniticum semper furibundum esse putant. Subinde variae deliriorum species in vno se aegro excipiunt. Nec fatuitas aut stupiditas mentis aliena est a phrenitide. Quare febris lenta neruosa, etsi emotio mentis, quae ad eandem accedit, placida plerumque est, mitisque, aut immixtis, fatuitatis ac stupiditatis signis comparet, iure tamen meritoque ad phrenitidem referri potest. Secundo delirium phreniticum a reliquis deliriis, quae febrilia sunt, in eo maxime differt, quod veluti ab ipsa cerebri substantia laesa subnascatur. Huius autem indolis delirium eorum esse, qui febre lenta neruosa laborant & phaenomena suadent, & sectiones, a morte eorum susceptae. Tertio perquam raro accidit, ut delirium vna cum febre phrenitica ingruat, plerumque haec potius tempore delirium, ocyus serius ac-

ce-

cedens, praecurrit; idemque de eo delirio dicendum, quod febre lentam neruofam comitatur. Delirium quidem ferius plerumque in febre lenta neruofa comparet, quam in vulgo ita dicta phrenitide. Enim vero hoc a sola totius morbi tarditate pendet; subindeque aliqua phrenitidis phaenomena iam in principio morbi adsunt (§. II.). Denique quarto febris phrenitica ad delirium phreniticum fere ita se habet, vt febris inflammatoria vniuersalis, ad inflammationem particularem, in quam, ipsa perdurans, definit; eodemque se modo febris lenta neruofa ad delirium habet. Medici quoque phrenitidem vel ob id a reliquis omnibus febribus continuis acutis distinguunt, quod vi propria naturaque sua singulari delirium perpetuum efficit, fere vt aliae febres exanthemata, catarrhos, rheumatismos &c. producant. Hoc vero anue de febre lenta neruofa itidem affirmandum? Si discesseris enim a proclui eius in phrenitidem lapsu, illisque eius symptomatibus, quae phrenitidem praenunciant, nil profecto supererit, quo, ad symptomata quod pertinet, a reliquis febribus eam distinguas.

§. XIV.

*Definitio febris lentae neruofae.*

Igitur *febris lenta neruosa* febris est putrida lenta cum phrenitide (vel, si mauis, signis phreniticis). Febrem autem *lentam* eam voco acutam, quae mitis apparet tardiusque mouetur (\*).

§. XV.

(\*) *Cum omnia febrium acutarum symptomata communia, aestus, si-*

*tis, & pulsus in febre sic dicta neruosa minimum fere gradum*  
E *vehe-*



## §. XV.

## Confectaria.

- 1) Illustr. b. m. VOGELIVS l. c. negat, febrem lentam nervosam, alia ratione, quam febris tarditate, a reliquis malignis differre; indeque rectius *malignae lentae* nomine hanc febrium speciem insigniri, contendit. Aene vero dantur febres malignae (putridae) lentae, quas cum cerebrum mitius, alias autem partes v. g. pulmones, vehementius afficiunt, lentas *nervosas* vix dicere possumus? Etenim Anglos, famosi nominis inventores, ad cerebrum maxime, in definienda huius febris natura, respicere, ea docent, quae de causae ipsiusque morbi sede proponunt. Sic HUXHAMVS manifestum esse putat, febrem lentam nervosam a solidorum statu nimis relaxato, a sanguine macro tenui, & a lentore & depravatione humorum lymphaticorum *nervosorum*que ortum trahere (\*); SAVNDERS sedem morbi in cerebello esse putat (\*\*), in cerebro HOME (\*\*\*)).
- 2) Oportet igitur nos febrem lentam nervosam cum a febribus nervosis, tum a febribus acutis nervosis distinguere. Nam *febris nervosa* in uniuersum ea dici potest, qua genus nervosum insolentius afficitur; *febres acutae nervosae* autem, praeter id celeritorem motum nactae sunt.

3) Ca.

vehementiae suae exferant, *lentarum* cognomine istae recte poterunt appellari (VOGEL l. c. §. 37.) (\*) pag. 82.

(\*) DEMIANI pag. II.

(\*\*) l. c. pag. II.

- 3) Cauendum etiam, ne ea febris pro febre lenta nervosa vendi-  
tetur, quae in hanc tantum transit aut mutatur.
- 4) Fuerunt, qui negarent, febrem lentam nervosam a colluue  
primarum viarum oriri; difficilius enim curari eam, datis eme-  
ticis & laxantibus, quam ceterae gastricae ac intestinales fe-  
bres hisce auxiliis sanari soleant. Enim vero pituita, putrido  
acriue adhaerens, debilitas & labes, cerebro forte iam illata,  
hanc difficultatem non inepte explicant; vt de eo nil dicam,  
quod curatio eius subinde non adeo difficilis fuerit.
- 5) Cum omnes febres, pro diuersitate subiectorum & epide-  
miae, mirum in modum variant: febris inde lenta nervosa quo-  
que differre potest (§. II.). (\*) quibus vero differentiis caue,  
ne ita vtare, vt genium morbi inde in vniuersum definias.  
Idem de methodo medendi dicendum (\*\*).
- 6) Cerebrum in hoc morbo interdum inflammari non nisi sectiones  
suadere videntur, forteque pus, per vrinae vias quandoque  
euacuatum (\*); at vero, cerebrum semper in his febribus  
inflammari, haud tuto inde colligi posse puto, vtique, cum  
phrenitides subinde absque cerebri inflammatione occurrant.

T A N T V M.

(\*) Confer. quoque STOLL l. c. pag.

40.

(\*\*) vid. VOGEL & DEMIANI ll. cc.

(\*) HOME pag 177. Sunt, qui ideo  
negent, inflammationem cerebri

in febre lenta nervosa adesse,  
quod venae sectio nociva, vsus  
opiatorum autem interdum salu-  
tatis fuerit. Verum haec argu-  
menta facile refutari possunt.

1) ... ..

2) ... ..

3) ... ..

4) ... ..

5) ... ..

6) ... ..

7) ... ..

8) ... ..

T A N T M

9) ... ..


10) ... ..



W 7 P

PICA







DE  
FEBRIS LENTAE  
NERVOSAE NATVRA.

CONSENSV  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
IN REGIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
D. PHILIPPO AD  
FACVLTATIS M

G R A D V  
SVMMISQVE IN  
AC PRIVILEGIIS DOCTOR  
A. D. XIII. OC  
H.  
PVBLICE

GOTTLIEB AL  
PO

HALAE  
TYPIS S T

